20

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PLEURITIDE,

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, CONSENSU ET AUTHORITATE GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

IN ANTIQUISSIMA ELECTORALI ACADEMIA HEIDELBERGENSI

PRO

GRADU DOCTORALI

PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

SALOMON EMANUEL WALLICH,

CONFLUENTINUS EX REGIONE TREVIRENSI NATIONE JUDÆUS

Die 20. Mensis Martii MDCCXXXVII.

HEIDELBERGÆ,

Ex Typographejo Academico, per Joan. Jacobum Hæner.

ILLUSTRISSIMIS

ET

GENEROSISSIMIS

S. R. I.

COMITIBUS DE LEYEN

DOMINIS DOMINIS

PATRI

CAROLO CASPARO

In Hohen-Geroldsegg, Adendorff, Saffig, Ahrenfeltz, Nieveren, Leiningen, Bongard &c.

Sacræ Cæsareæ ac Regiæ Catholicæ Majestatis

CONSILIARIO INTIMO ACTUALI.


FILIO

FRIDERICO FERDINANDO

In Blies-Castel, Burweiller, Münchweiller, Otterbach, Forbach &c.

Dominis, Dominis suis Gratiosissimis.

ILLUSTRISSIMI
ET
GENEROSISSIMI DOMINI,
DOMINI GRATIOSISSIMI.



Upiditate dedicandi Diſſertatiunculam de Pleuritide ſeu inflammatione membranæ Pleuræ, Gratioſiſsimis Veſtris Nominibus, *inflammatus ſum à* Veſtra *multis abhínc annis collata, in demortuum non ſolùm avum, ſed & ſuperſtitem adhuc Patrem, imò novi-*

ter

ter in me ipſum ineffabili gratia. *Verebar ſiquidem majorem me puncturam ignominiam, quam punctorium dolorem Pleuritide infectum, ſi conceſſiſſem, tantæ gratiæ, ut expungatur gloria. Sed vix feram punctum, credendo, gratia indignis gratioſiſſimè exhibita*, Glorioſiſsimæ Genti Veſtræ, *incrementum gloriæ eſſe acceſſurum; quæ enim gloria ab infimi ſubſellii & abjectæ ſortis hominibus? Abſit inflammatio hæc â præcordiis meis, quamvis & â victis, & libertate privatis gloria (ùt ajunt) aliquandò reportetur. Si qua igitur ex hoc negotio* Veſtris Gratioſiſsimis Nominibus G*loria*, *ex ſola* Veſtra Gratia *proficiſcetur. Primam* ſummum Numen, *quod opto, ita augeat; hanc*

Vos

Vos, quod rogo, ita augete, ut nec meum exiguum nomen debitoris expungatur. Dignemini itaque porrò gratiosissimè respicere

ILLUSTRISSIMORUM ET GENEROSISSIMORUM, GRATIOSISSIMORUMQUE NOMINUM VESTRORUM

Clientem subditissimum

Salomonem Emanuelem Wallich.



PROOEMIUM.



Um diù multúmque, quodnam morbi genus placidæ disquisitioni, inauguralíque defensioni submittam, mecum animo pervolverem, tandem de Pleuritide, tanquam febre inflammatoria, hanc Dissertationem conscribendam operæ pretium duxi, eò quòd hæc & aliæ febres inflammatoriæ tales sint affectus, qui non modò valdè frequenter occurrunt, sed dubii, difficilísque exitûs, brevîs simul ac periculosi circuitus sunt, ita ut Medicus Practicus jure merito horum affectuum certam, solidam, & perfectam notitiam omni, quo potest, nisu inquirere, sibíque imprimere necessariò debeat, & hac

cognitione conciliatâ, ejusmodi mala, tutò & incundè demùm curare, profligaréque valeat, idcircò cùm ex febrium inflammatoriarum censu Peuritidem esse decretum sit, hanc brevi & rudi stylo explanare constitui; interim non placet Pathologiam hujus affectus multis deductionibus amplificare, sed id tantummodò ad scopum meum præsupponere intendo, ut quilibet artis salutaris amator sciat, tum quæ præcipuè in hoc morbo respicienda, tum qualia eidem convenientia applicanda & propinanda sint remedia. Quarè consuetudini duntaxat Academiæ morem gerens, ventilationis ergo rem totam, ad veritatis enucleationem ipsámque incolumitatem mortalium, quantum possibile, pro viribus paucis expediam; tribuat Deus Optimus Maximus, ut susceptus hic labor vergat in Nominis Sui Gloriam, in proximi verò cedat salutem.

THE-

THESIS I.

PLeuritidem hac Dissertatione examinaturus, definio, quòd illa sit membranæ pleuræ inflammatio, lateris hujus vel illius dolore punctorio, à sanguine acriori viscido circa pleuram stagnante producta: Conjungitur febris continua cum respirationis difficultate, aliáque, quæ cùm sint satis nota, hìc ingenti verborum apparatu ulteriùs describere superfluum judico.

THESIS II.

DIspescitur communiter Pleuritis in veram, & spuriam. vera manifestatur ex definitione, & symptomatibus allatis, & inferiùs, ubi specialiter de signis agetur, plura Pleuritidem veram declarantia adducentur.

THESIS III.

SPuria dicitur, in qua quidem dolor punctorius, sed levis admodùm febricula, & tussis vix notabilis conjungitur, & symptomata non coincidunt, cum symptomatibus in Pleuritide vera occurrentibus. & sunt plerumque mitiora. Est secundùm nonnullos affectus arthriticus, arthritico-rheumaticus, qui in exterioribus thoracis partibus sedem suam figit, afficit patientem, unum tamen præ altero, sed dispari ratione, quam vera Pleuritis hoc cum arthritide in genere commune habet, quòd communiter incipiat ab horripilatione; non nullis affectus

 hic

hic ſcapulos affligit, nonnullis pectus, poſt horripilationem æſtus ſupervenit, pungit affectus, & punctiones cum anheloſa reſpiratione coincidunt, quæ tamen in pleuritide vera ferè ſemper, tam in reſpiratione, quàm extra eandem ſentiuntur. Eſt hic affectus minimè negligendus, præſertim in texturæ tenuioris ſubjectis: in tali caſu ſimiliter remediis infrà de curatione allegandis inſiſtendum; & hæc de Pleuritide ſpuria dicta ſufficiant.

THESIS IV.

NEve etiam Pleuritis cum peripneumonia confundatur, illud notandum venit, quòd facilius & communius occurrat pleuropneumonia, quàm ſola pleuritis; habet hæc diſtinctio fundamentum & veritatem, ſecundò habat locum in Prognoſi & Praxi: Notandum 2dò, quòd in pleuropneumonia communiter concurrat, & ſuperveniat ſputi colorati ejectio, quæ in pleuritide ſola non ſemper obſervatur, niſi quòd materia peccans extra vias regulares poneretur, & natura hoc modo materiæ evacuationem per ductus inſolitos nobíſque incognitos motu planè extraordinario intendat, quod tamen rariſſimè contingit. 3tio in praxi magna intercedit differentia, quòd ex peripneumonia non ità facilè ſuboriatur empyema, quàm ex vera pleuritide. 4tò inflammatio contingens in pleura efficacius poteſt diſcuti, quia nimirum propiùs poſſunt attingere remedia topica, cùm efficacia illorum ad pulmones non æquè penetrare valeat. In his itaque paſſionibus & affectibus ritè diſcrepandis, meo ritè ut fun-

gar

gar munere, ſubjectum, cauſas & ſigna pleuritidis jam anecto.

THESIS V.

PRimaria hujus affectus ſedes dicitur membrana pleura, dein muſculi intercoſtales, quibûs affectîs & irritatîs ipſum cor, vaſorum ſanguiferorum, item & ſubtiliſſimæ nervorum ramificationes, reliquæque partes adiacentes in conſenſum trahuntur; quòd verò pleura præcæteris partibus primariò afficiatur, patet ex ejusdem ſigno pathognomonico, ſcilicet acuto lateris dolore, cui accedunt reſpiratio difficilis, præcordiorum anxietas, aliáque ſymptomata ſupra recenſita.

THESIS VI.

CAuſa proxima pleuritidis eſt, in membrana pleura, à coacervato ſanguine producta ſtagnatio; hæc rurſus, uti reliquæ, cauſas ſua procatarcticas & remotas reſpicit, ſanguinem nimirum nimia in copia exiſtentem, & viſcidum, tenacem pleno impetu in vaſcula membranæ pleuræ irruentem, exitum non invenientem, hîncque vaſa enormiter diſtendentem. Reſpicit 2dò, vel hæmorrhagiarum aliàs fluentium, ſuppreſſionem & ceſſationem per notabile tempus, undè ordinariò & communiſſimè, magìs adoleſcentibus & juvenibus copiam humorum in ſuis corporibus foventibus evenire ſolet. Reſpicit 3tiò partium exæſtuantium ſubitaneam conſtrictionem, â ſuperveniente repentino frigore exortam; nam ſanguis â calore nimiùm

nimiùm attenuatus, & in motum abreptus, per arterias ad omnes corporis partes copiosiùs propellitur, qui, quousque ei liber per vasa conceditur transitus, nihil molestiæ infert, simul atque verò per improvisum frigus, aërem scilicet vel potum frigidum corpus refrigeratur, humores in tenuissimis pleuræ venulis incrassantur, incrassati stagnant, venæ constringuntur, pori occluduntur, se- & excretiones sufflaminantur, quo fit, ut sanguis per dicta vasa liberè transire nequeat, unde etiam junioris ætatis personis, post insignes & anhelosas corporis agitationes, tempore frigidiore, potu vel halitu frigido, copiosè adducto, hoc malum evenire solet. Respicit 4tò contusiones, casus ab alto, vulnera aliásque violentias externas, quas recensere superfluum judico.

THESIS VII.

DIagnosin quod attinet, patet illa ex signo pathognomonico, in fine Thesis 2dæ adducto, scilicet ex punctorio lateris dolore, febre continua, & pulsu duro, qui in hoc affectu, utpote morbo partium membranosarum, individuus comes existit.

THESIS VIII.

PRognosis; periculosus valdè est hic morbus, tum propter respirationem læsam, qua æger carere omninò nequit, tum propter gravia symptomata huic morbo familiaria, & empyematis metum; si enim non discussio, sed suppuratio evadit, nascitur inde in thoracis cavitatem effusio,

effusio, nempè empyema, quod malum periculi plenissimum, adeò, ut pauci Medicorum assecurare possint, quod talis affectus optatum suum effectum unquàm sortitus fuerit. Porrò suppuratione superveniente, degenerat hic affectus (nisi in principio huic morbo requisitis necessariis occurratur) frequenter in gangrænam & sphacelum lethalem, vel ad minimum subnascitur ulcus difficillimæ vel nullius ferè curationis, vel transit demùm in febrim hecticam, patientem miserè interficientem, & ùt plurimùm immedicabilem, ità ut Medicus hìc nihil certi promittere, ne dicam, quid solidi sperare possit, nisi insignis adhuc juventus, & robur virium concurrat, in quibus tamen casibus (sed reverà rarissimè) speranda est consolidatio, & hinc si dolor ille pungitivus lateris ad aliqualem sensum decrescit, aliqualis tunc affulget spes curationis, si verò increscit, res summi periculi est.

THESIS IX.

GEneralis tractatio, pro primario scopo, discussionem exposcit, si quidem in præcedentibus de Prognosi dictum est, quòd pessimo eventu inflammatio pleuræ ad suppurationem perveniat, eò quòd in periculosissimum, ob empyematis metum, statum & mortem terminetur; ubi adhuc notandum venit, quòd, si suppuratio oriretur, Medicus extremâ curâ & industriâ, ab imtempestivo consolidantium usu sibi cavere debeat. Sunt, qui sanguinis consistentiam spissam tenacem ab aciditate deducunt, hincque huic morbo absorbentia opponunt, sed reverâ sola sic nudáque absorbentia totam curam non absolvunt, & effectus

effectus ipſorum levis eſt; contrà verò abſorbentia ſolubilibus, incidentibus permixta, efficaciæ longè majoris deprehenduntur.

THESIS X.

VUlgi remedia ſunt ſanguis hirci, fuligo fumi, quorum colliquativa, inciſiva, & reſolutiva virtus pariter innoteſcit, cum his medicamentis regimen moderatè diaphoreticum continuum ſervandum, & ſi ſudor ſubſequatur, ille non intendi, ſed moderatè & ſucceſſivê continuari oportet.

THESIS XI.

NEque etiam ſub hoc ipſo caſu, & ſub tali regimine negandus eſt potus, ísque temperatus, reſpondens requiſitis neceſſariis, dein partim ante exacerbationem, partim ſub exacerbatione, utendum talibûs vulgo dictis temperantibus, reſolventibus, incidentibus terreo-ſalinis V. g. matr. perlar. Conch. ppt. ocul. ☋. ♁. ʒiat. mandib. luc. piſc. ras. dent. apr. ♁ antipleurit. &c.

THESIS XII.

COmmuniſſimè & optato cum effectu exhiberi quoque ſolent emulſiones, non quidem valdè craſſæ, alimentoſæ, nutrientes ex amygd. dulc. additis ſem. Card. Mar. 4. frig. mai. &c. ex ▽is ♌tis ▽ ſcabios. C. B. tuſſilag. &c. Ergò medicamentis tam in-quàm externis eò potiſſi-

potiſſimùm tendendum eſt, ut diſcuſſio maturè, quantum poſſibile, fiat; nam ſuppuratio ex prædictis præſentiſſimè periculoſa eſt.

THESIS XIII.

CAlida motum nimis augentia hìc pariter exulent, etenim ſi commotio ab inflammatione jam magna ſubſit, patientémque graviter affligat, potiùs in Medico eſt, ut has commotiones temperet, & moderetur, quàm ut augeat.

THESIS XIV.

REgimen calidum immoderatum, modum excedens, nullius quoque eſt uſus, conveniunt interim diluentia, reſolventia, inter quæ ⦶, & acida principem locum obtinent, reſpectus tamen, in iis exhibendis, ſubiectorum æquè ac materiæ morbificæ haberi debet. Alvum in hoc affectu ſuppreſſam eſſe non expedit; ſunt & quidam, qui in pleuritide anodyna, papaveracea, aliáque dolores ſedantia, ùt opiata pro ſpecifico ventilant, ſed reverà id ipſum experientia non confirmat, anodyna quidem ſopiendo, & ⁓ animales obnubilando dolores punctorios ad tempus tollunt, tamen morbus in totum non evaneſcit, ſed potiùs præſtantiſſimum in hoc morbo expectorationis negotium impediendo, exacerbatur.

THESIS. XV.

CAvendum igitur eſt, ne dolor omnis, materiâ nondùm diſcuſsâ, auferatur; hoc enim ſi fieret, ab intercepto Spirituum animalium influxu, & ſanguinis impulſu, inflammatio & corruptio magìs invaleſcunt, & patiens in peſſimum morbi ſtatum coniicitur.

THESIS. XVI.

PRæ cæteris propterea circumſpectè tractandus eſt hic morbus, & patiens monendus, ne actualibus refrigerationibus leni tranſpirationi obicem ponat, ſiquidem magìs ad ſucceſſivas & lenes exhalationes promovendas inſiſtendum, & in hoc caſu uſus alexipharmacorum non quidem magnis, ſed repetitis doſibus tanto magìs in uſum trahendus venit.

THESIS XVII.

TAndem & V. S. (licet Medici Practici in hac decidenda in varias abeant ſententias) hic negligenda non eſt. Barbette in tabulis chryrurgicis inquit: *largiter inſtituenda eſt V. S. cùm nullus mihi notus eſt morbus, qui liberaliorem illam ferat, cum commodo ægrotantis, & ſi dolor non remittat, ſpatio 24. horarum 2da, 3tia, 4tâve vice V. S. reiterari debet &c.* item Diemerbrock in ſuis obſervationibus ait: *Curatio â generoſo & primario remedio, V. S. ne incipienda eſt, qua V. S. ne ſi non levetur æger, eadem poſt horam unam vel alteram, & deinceps, ſi neceſſe ſit, 3tiò repe-*

repetenda est, habita verò ratione virium. ſine dubio hæc intelligenda de ſtatu ſanguinis plethorico; utrùm verò in quolibet ſubjecto hæc toties repetita V. S. inſtituenda ſit, Doctioribus diiudicandum relinquo, ego potiùs Practicis V. S. nem in omni ſubjecto tardè, & cum circumſpecta attentione inſtituentibus ſubſcribo; nam ita judico: quando morbus manifeſtò periculoſus eſt, V. S. nem tunc tot reiteratis vicibus inſtituere ex conſcientia non debet Medicus, quia ſanitas, quæ finis Medici eſt, toties repetita V. S. ne, potiùs evertitur, quàm impetratur, quod probant numeroſa exempla eorum, qui ſic tractati vitam morte commutârunt, & ſi celeberrimi Ettmulleri in ſcriptis ſuis dicentis (*ſuppurationem larga V. S. ne promoveri*) aſſertum ulteriùs per experientiam probari poteſt, omnes tunc ego Medicos, non ut ſimplici; ſed largæ, bis, ter, vel quater inſtituendæ V. S. ni ſuperſederent, dehortarer, non quòd V. S. ſit, nullius valoris, ſed ſæpiùs repetita in uſum trahenda non ſit addo, ſi ſtatim ab initio tardè Vena ſecatur, major ſpes erit reconvaleſcentiæ, modò methodus legitima conjungatur, nimirum diophoretica, diapnoica, ubi verò largiter inſtituitur, materiâ nondùm ſubactâ, & ad abſterſionem præparata, ſuppuratio neceſſariò ſequitur, quod ſic probo. ſanguine imminuto natura inſufficiens redditur ad abſterſionem & diſcuſſionem, præſertim ſi concurrat methodus hodierna per refrigerantia &c. Nam utiquè hic ſummè conſiderabilis eſt ſtatus ſanguinis talium ægrorum, qui ad ſpiſſitudinem ac ſtaſin maximè proclivis eſt, itaque tanto magís ſufficientem copiam hæc ſtaſis requirit, qua commodè abſtergi poſſit; depauperatus enim ſanguis

 ſuffi-

ſufficienti abſterſioni non ſatisfacit, unde evenit, quòd natura circa dies criticos, ubi maximus impulſus & transpulſus celebrari deberet, fatiſcat. Quarè V. S. cautè in debita ac juſta proportione inſtituenda, non verò toties repetenda eſt, ne natura circa dies criticos, ubi finem morbo imponere occupata eſt, medio neceſſario deſtituatur.

THESIS XVIII.

LIcet hìc annectere caſum, quem, anno abhinc præterito, menſe februario expertus ſum. Erat hac in urbe octodecim annorum juvenis, vera pleuritide laborans, ùt manifeſtè patebit. vocatus perveni ad ægrum, per quatuor dies lecto jam affixum: aderant ſymptomata graviſſima, ſcilicet ſumma reſpirationis difficultas, dolores lateris punctorii acerbiſſimi, pulſus valdè celer, tuſſis vehementiſſima, conatus ad expectorationem, expectorare tamen nequaquam potuit; decumbebat ità miſer, ut ſummis præcordiorum anxietatibus affectus, vix ac ne vix quidem unicum verbum diſtinctè eloqui potuerit. Adſtabant multi, ſinguli unanimiter V. S. nem ſuadentes. Verùm ego tanquam naturæ miniſter, conſiliis illorum deperditis non inhærens, eam non conceſſi, ſed, quoniam dies quartus tanquam indicatorius, & ad criſin inclinans eſſet, timul, ne natura in ſuis actionibus impediatur, & per hanc V. S. nem ipſa criſis retardetur. Tutiorem itaque viam ingreſſurus, morbum tollere conatus ſum per remedia alexipharmaca, reſolventia, qualia ſunt ▽ Scabios. Card. Mar. Tuſſilag. Syr. Capill. ♀. violar. ♃ antipleurit. mand. luc. piſc. ♁ diaph. ⊕ Cryſtall. camphor. gr. iij. ſpecies

ſpecies pectorales pro potu theæ ex Hb. Veron. tuſſilag. heder. terreſt. &c. ad meliorem expectorationem & amygd. dulc. rec. expreſſ. ſyr. violar. papav. rh. ſperm. cet. Externè verò ad latus inungendum, ungt. pectoral. anod. & Chamomill. lini exhibui. Debilitatibus poſtmodùm ſubinde adhuc ſupervenientibus, remediis cordialibus & analepticis ſuccurri, qui æger, aſſiſtente Divina Gratia, intra tempus trium ſeptimanarum, priſtinam ſanitatem recuperavit.

THESIS XIX.

HUic denique methodo medendi ulteriùs ſubiungenda eſt ipſa regiminis ratio, **wie ſich der** patient **bey dieſer Kranckheit verhalten ſoll** / quæ profectò plus quàm dimidium curæ abſolvit; Medicus enim omni ſuâ operâ vix dimidium affert, reliquum ſimul & patienti incumbit, ità, ùt v. g. ſi natura diebûs criticîs rectè procedat, ad evacuationes, & per lenes ſudores, materiam morbificam excutere conatur, patiens vero impatiens eſt, & immorigerus ſudoribus vacare detrectat, iectigatione refrigeſcit, ibi certè â ſenſu refrigerationis, ſpaſmodica cutis contractio infertur, & ſudor planè reprimitur. Itaque hoc regimen tam ab ipſo patiente, quàm ab ipſo naturæ miniſtro, quem ſcire oportet, quo tempore illud præſcribendum, quóve tempore ſudor exſpectandus, promovendus, continuandus ſit, ne peccetur in exceſſu aut defectu, ſedulò attendendum eſt. Quantitate enim materia morbi, unóque impetu minimè eliminatur, ſed fit hoc ſucceſſivè, quapropter vires intempeſtivis ſanguinis commotionibus ad

ſudores, porîs cutis adhuc perclusîs, ne defraudentur & æquilibrium inter actionem & reactionem (utpotè quo sublato morbus nec per criſin, nec per metaſtaſin perfectè ſolvitur) tollatur, circum ſpecta Medici requiritur opera.

THESIS XX.

REgimen diæteticum, quod ex debita convenientíque ſex rerum non naturalium adminiſtratione conſtat, licet Paracelſus nullum in Pleuritide obſervandum eſſe exiſtimet, hujus tamen neceſſitatem ab aliis in Arte Medica meritiſſimis viris & Clinicis Celebratiſſimis omnimodè commendatam habeo, & cum iisdem aërem ſempertemperatè calidum præ frigido, victum tenuem præſertim ab initio, juſcula hordacea, avenacea, potiſſimam hìc explere paginam, uti nimis calida, acerba, ſalſa, è cenſu ſalutarium confeſtim exulanda duco. Potus ſit cereviſia tenuis, vel decoct. hord. cum paſſul. & liquirit. rad. bardan. raſur. C. C. &c. Vinum verò, quod Hippoc. L. d. morb. c. 40. & 41. connivet, λευκὸν καὶ ὀλίγον tutius ſepono. Alvus ne ſit laxa, cùm fluxus alvi in Pleuritide ſint pernicioſi, juxta illud Hippoc: *alvi laxitas, cutis denſitas.* Somnus & vigiliæ moderatæ ſint, vehementiora animi pathemata per fidem in Deum temperent ægroti.

Et hæc de hoc affectu dicta ſufficiant, ubi ſalus Proximi unicus hìc præfixus mihi eſt finis.

SOLI DEO GLORIA.